



kat.komp

17482

I

Mag. St. Dr.

P

*Bartholomaeus*

*Math. Episkoptoma*

*Solymacum.*

PANEG. et VITAE

Polon. 4<sup>to</sup>

№. 610.

Biblioteka Jagiellońska



stdr0002178

D

M

ro

tia

gu

IA

Ac

M

# Episkoptoma Solymæum

S E V

Carmen gratulandum in Aduentum

*Illuſtris ac Magnifici Domini,*

**D. BARTHOLOMÆI  
NOVODORSKI**

à NOVODWOR,

**Melitenſis Militiæ S. Ioan. Hieroſolymitani Equitis, S. R. M. Secr. & Militiæ Magiſtri, viri incomparabilis, dum 3. Iunij ex auguſta Academia Crac. & Scholis à ſe fundatis, cum Mag. D. IACOBO IANIDLOVIO RECTORE, I. V. D. C. S. & aliis Academiae Proceribus in Collegium Hieroſolymitanum diuerteret, ſicq; illud inuiſens, à ſe quoq; ei prouiſum iri in votis ſe habere denunciaret.**

A

**M. MATTH: BVCZKOVIO** Philoſoph. Doct.  
*& Contub. eiufdem Seniore honoris ergo factum.*

BIBLIOTH. UNIV.



JAGELLONICAE

**CRACOVIA,**

Ex Officina Typogr. Matthiæ Andreouienſis,

**Anno Domini 1619.**

444.

*Exemplum Dni J. Nicolai Nijforti  
in Acad. hinc Regni Poloniæ*

In Arma antiquissimæ Domus  
NOVODWORSCIORVM.



**A**urea coccineam subnectit fibula vestem,  
Alipedem nexus, continet arcus, equum.  
Sub iuga loratos cogit manus ire leones:  
Vincula amicitie conciliantq; duas.  
Fascia virgineum stringit sinuosa nitorem:  
Diuisis canibus fascia colla ligat.  
Quid tua magne heros NOVODVORSKI fascia dicat?  
Be. Candorem fidei, & Religionis opes.  
Vt sint vnanimis, qui se hosti opponere possint  
Lehiade, & seruent fœdera amicitie.  
Iure pari Regno educat, Mars, Arsq; vicissim  
In templum Patres militiamq; viros.  
Iungat Amor concors discordes, fascia censet:  
Felix cui, Christi, pectora iungit, Amor.  
Ergo tuo Terram vis stemmate iungere celo?  
Diuinum recte dixero stemma tuum.

17482 I

*Beneficentia & liberalitas illustres ac beatos  
reddit mortales.* Lact. de vero cultu.

## Ode Dicol. Distroph.

*Μακαρίμων ευχάρια.*

**N**ominibus multi varijs te ritè beatum  
Esse ferunt, Solymæ BARTHOLOMÆE decus.  
Hic quòd præclarâ fias de stirpe profectus:  
Hic quòd robustum pectus in arma feras.  
Ille tui vultûs rarum miratur honorem!  
Augusto numerans corpore diuitias.  
Hic quòd sis charus Regi, Procerumq; coronæ:  
Inq; Bonum ponas arma, fidemq; catus.  
Quòd nomen dederis Melitenfi militiâ,  
Sacrophagum Christi quòd tueâre, canunt.  
Quòd Patriæq; tuâ multi de Gente profecti  
Conseruatores, ore, lyraq; fonant.  
¶ Non sic lucet onyx Myrrhæus; non ita vernant  
Lilia, non violæ candidulæq; rosæ.  
Quàm firmatâ tuo NOVODWORSKI corde GEORGI  
Virtus exornat docta Lycæa sophûm.  
Author eras, in quâ nuper iuuenile polijsti  
Ingenium, reditu, non sine fruge, Domum  
Exornarier, atq; Scholis aptare Patrônem,  
Quo pacto nomen perpetuare queas.

Si vobis similes permultos Læchica tellus  
Ederet, auricomo Regna beata polo  
Perferrent. Studys exulta Academica pubes  
In commune Bonum cresceret inde magis. (SKI  
¶ Magna quidē venerāde Heros sunt hæc NOVODWOR-  
O decus ô nostræ splendor, honorq; Lyra.  
Magna reor, plectro quæ nunc cōplector eburno.  
Quòd Patriæ robur sis, Generisq; decus.  
Vidimus actutum toties te cum hoste feroci,  
Horrida sanguinea bella mouere manu.  
Nota tua est præstans firmato pectore virtus,  
Quam metuit Scytha trux, Turca ferusq; tremir.  
Illam tu STEPHANO Regi persapè probâsti;  
Fortibus hic ausis ritè fauere sciit.  
Arma SIGISMUNDO Regi tua mitè placere  
Scimus, & excellens nomen amare tuum.  
Quid WLADISLAVS Princeps? illustria nouit  
Facta, fidemq; tuam condecorare parat.  
Turbine Moschiticum superâsti non semel agmen  
Fulmineo, sternens hostica castra sono.  
Quid tua dextra notat? Regi, Patriæq; fidelem,  
Pro Regnoq; paratum exhibet illa mori!  
Dulce putas hostem subuertere, vincere crudo  
Marte, vel arte, malo occurrere dulce putas.  
Dulce putas, dubiis obsistere ritè periclis:  
Vulnera pro Patria sumere, dulce putas.

Exem-

Exemplum cunctis præbes Pietatis, auitâ  
Religione probas, integritatis opes.

Ex te virtutem discat verumq; laborem  
Posteritas, Patriamq; arte leuare suam.

Hæc sunt rara tuæ mentis, cunctisq; stupenda  
Argumenta, quibus plaudit & ipse polus!

Ast mihi crede parum foelix sic esse valeres,  
Isthæc quæ memoro si tibi sola forent.

¶ Te fortunatum pia mens, Bonitasq;, Fidesq;,  
Et crucis excelsum stemma, decorq; notant.

Quòd superos imo thesauros corde recondas:  
Fixa est in summo quòd tua mensq; Deo.

Quòd domus ista tibi placeat Solymæa; quòd Arte  
Palladium exornas sumptibus atq; beas.

Quòd miseri curæ tibi sunt Parrone Clientes  
O veterane, nouæ consulis historiae.

Erexisse Scholas magnum est, quæis Læchica pubes  
Palladiæ discat munera militiae.

Athletas si discobolos Gymnasia reddunt,  
Templo acres, Schola fert, Militiæq; viros.

Machina quot Troiana viros effuderat olim:  
Hinc tot prodibunt lumina Sarmatiæ.

MVNIFICI, IN MISEROS LARGAM, EST, EXTENDERE DEXTRAM:  
IN DIGNOS IUSTI CONSPICVIQVE VIRI.

Dignum est (crede mihi) tumultum exornare beati  
IOANNIS CANTII, si pia vota ferent.

Magna licet tribuas, dicis maiora daturum,  
Larga tibi nunquam desinit esse manus.  
Præmia multiplicas, quæ nunquam deesse valebunt  
In coelo : terrâ en præmia quanta paras!  
Quòd si munificos tales Schola nostra videret:  
Extera non tellus cultior esset abhinc.  
Musagetes rutilis splendes ô Miles in armis :  
Quòd musis faueas , promoueasq; viros.  
Si tibi sic crescent fortes ad prælia nati,  
Quàm Solymæa domus gaudia multa parat ?  
Gaudia multa parat tibi, nam post fata quietem,  
Altaq; cælesti præmia ab arte, vouet.  
Immortale tuum nomenq; decusq; manebit,  
Dum ferro & calamo te, & tua facta canet.  
Sicq; tuas dicent laudes, pueriq; senesq; :  
Vulgabuntq; tuam muta sepulchra fidem.  
¶ Ergo ( non vanam si me docuere Parentes  
Mentem, si vates auguror omne bonum )  
Fortunate senex, ô candida gloria Regni,  
Aurea sacrata curaq; militiæ;  
Ritè tuum dulci tollens super æthera versu,  
Concelebro, nomen facta proboq; metro.  
Ritè ferens grates imo de corde, Beatum  
Tereor : ipse tibi pulcher Olympus ouat.  
Cernis OL E S N I C I V M curuato poplite magnæ  
Matri cum Puerò reddere vota , Patrem &

Præsul



Præsul hic hæc summo placuit ratione Tonanti,  
Idcirco ad superas excitus ille domos!  
Pro iustis donat meritis, mortalibus altus  
Ornamenta polus, quæ dare terra nequit.  
Si cano te ô miles de Malta ritè beatum,  
Si te supremo proximum & esse Deo:  
Hæc mea musa tuum currenti opus eximet æuo;  
Ut viuis volites docta per ora virum.  
Saxa domant anni, consumit marmora tempus,  
Scripta Poëtarum nulla senectæ terit.  
Carmine fit viuax virtus sacrata, suauis  
Carmine quæ canitur gloria, morte caret.  
Viuite qui ornatis Musas, ornareq; vultis:  
Non rapiet vobis præmia sera dies.  
Ast tu præ reliquis longâ dignissime vitâ,  
Viue NOVODVOSKI BARTHOLOMÆE diu.  
En Solymæa tibi promptam sese exhibet vltro,  
Militiæ applaudit pro pietate tuæ.  
Publica priuatis qui præfers commoda rebus:  
Optimus es Ciuis, dignus honore coli.  
O columen Regni, viuacis sæcula cerui,  
Viue, patrocínio nosq; foueto tuo.  
Viue tot ætates, quot viftula verrit arenas,  
Exuperes Pylii sæcula longa senis.  
Immortale tuum, nomen decusq; manebit:  
O decus, ô nostræ lausq; decusq; lyræ,

Anagram-

*Anagramma emblematicon.*

ATLAS COELVM SVSTENTANS.

BARTHOLOMÆVS NOVODWORSIIVS.

verte V. in M.

IO HIC MILES ARMATVS DORSO BONVS.

**D**um pondus, Atlas, cali dum tecta ruebant  
Supportabat hians vertice Marmaricus.  
Non leue supportat dorso, quo castra fugare  
Hostica consuevit BARTHOLOMÆVS, onus.

Robore caelesti suffultus pondera suffert.  
Diuino plenus miles hic auxilio.

Non hosti durum potis est obuertere tergum  
In pugna: Archimedes sic tulit arma senex.

MILES HIC ARMATVS, DORSO BONVS, occinat IO  
Qui cupit ad superas corda lenare domos.

*Epigramma prosphonisticon.*

**S**i dextram exurens laudatur Mutius igne,  
Quod non Porfena Rex concidit eius ope.  
Quomodo non laudem meruisse Caualliger ore  
Intonet, hostiles concutiendo manus?

Fabricios cessent veteres extollere versu:  
Zamoyski Patria commoda quanta tulit!

Annibalem sileant Tyry, phrygy Hectora, Achiui  
Fortem Peliden Amathiumq; Ducem.

Exuperat Curios famâ NOVODWORSIIVS Heros,  
Scipio Marte Togaeq; est: pietate Numa.

Romani cessent fortes iactare Camillos:  
Qui Patria profint ecce Polonus habet.





